UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt III. De contemptu rerum terrenarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38601

Visual Library

curemus aure intentâ diſtinctè per Ordinem percipere, & opere adimplere. Loquens enim Dominus ſancto ELIÆ, ait tam in veteri, quàm in nova Lege cuilibet Monacho eremitæ: *Recede hinc*, ſcilicet à rebus caducis mundi & tranſitoriis: & *vade contra Orientem*: id eſt, contra originalem tuæ carnis cupidinem: & *abſcondere in torrente Carith*, ne in urbibus moreris ſimul cum turbis: *Qui eſt contra Jordanem*: ut ſcilicet per charitatem ſis *diviſus* à delictis. His namque quatuor gradibus ad culmen propheticæ perfectionis conſcendens *ibi de torrente bibes*. Sed ut in hoc queas perſeverare, *corvis præcepi ut paſcant te ibi*. Hæc autem omnia intelliges meliùs, ſi per ſingula diſcurrendo, ea diſtinctè per ordinem exponamus.

Compendium totius allegoricæ expoſitionis.

CAPUT III.

De contemptu rerum terrenarum.

1. Gradus perfectionis monaſticæ.

Genes. 12.

Difficulter non amatur quod poſſidetur.

a Lucæ 14

Eccl. 13.

EA quæ tibi ſuadeo, ſigillatim intellige per ordinem & diſcretè. Nam primò dixi tibi in mea juſſione: *Recede hinc*, ſcilicet *de terra & de cognatione tua, & de domo patris tui*, non ſolùm animo, ut terrenis poſſeſſionibus tui generis & caducis mundi *divitiis cor tuum non apponas*, ſed etiam opere, ut ipſas non poſſideas. a *Niſi enim quis renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus*. Quoniam licet poſſeſſæ divitiæ non claudant diviti introitum cæleſtis regni, ſi cor ſuum ad eas non apponat, Sapiente dicente: *Beatus dives qui inventus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in theſauris pecuniæ*. attamen per hoc quod Sapiens proximus ſubdit, dicens: *Quis eſt hic, & laudabimus eum?* innuit manifeſtè difficultatem reperiendi talem virum, qui divitias poſſidens ad eas cor non apponat: cor enim humanum facilè hæret his, quæ frequentat. Propterea dum poſſidentur divitiæ, natæ ſunt majorem flammam accendere in corde, & vehementiorem cupidinem gignere: quemadmodum Sapiens ait: *Saturitas divitis non ſinit eum dormire*. Occupatus quippe in ſupervacuo poſſeſſarum divitiarum amore, cùm habeat ipſe rebus domeſticis intendere, affligitur aſſiduè ab ærumna continuarum curarum, quæ non ſinunt ad ipſum ingredi deſiderium adimplendi verbum, quod audivit divinorum præceptorum. *Ærumnæ enim ſæculi & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiſcentiæ introeuntes ſuffocant verbum, & ſine fructu efficitur*. Propter quod *dives difficile intrabit in regnum cælorum*.

Eccl. 5.

Marc. 4.

Matt. 19.

Tu ergo fili mi, ſi vis perfectus eſſe, & ad finem monaſticæ vitæ eremiticæ pervenire, ibique de torrente bibere, *Recede hinc*, ſcilicet à rebus mundi caducis, relinquendo corde & opere omnes poſſeſſiones terrenas & facultates propter me: quoniam facilior & tutior via ad perfectionem propheticam tendendi, & tandem ad regnum cælorum perveniendi eſt iſta. *Omnis* enim *qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet jam in hac vita*, prægustans meæ ſuavitatis dulcedinem cunctis terrenis centupliciter prævalentem, & tandem *vitam æternam poſſidebit*. Ecce breviter audiſti primum gradum, quo conſcendere poſſis ad propheticæ perfectionis ſummum.

Ibidem.

Suavitas divinæ dulcedinis, etiam in hac vita, centupliciter prævalet omnibus terrenis.

CAPUT IV.

De abnegatione propriæ voluntatis.

2. Gradus perfectionis vitæ monaſticæ.

Ezech. 16

Joan. 9.

Pſal. 50.

NUnc attende ſecundum. Sequitur enim in exhortatione mea: *Et vade contra Orientem*, ſcilicet contra originalem tuæ carnis cupidinem. Scire namque debes, quod *in die ortus tui non eſt à peccato præciſus umbilicus tuus*: quoniam *in peccatis natus es totus*. Quemadmodum in perſona cujuslibet hominis geniti à viro & femina, ait Propheta: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*. Ab hoc autem originali peccato, in quo concipitur homo, illud provenit, quòd *caro* hominis *adverſus ſpiritum concupiſcit*. *Video*, inquit Apoſtolus, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*. Hæc lex peccati, *eſt illa lata porta*, per *quam* quis *intrat* cum ei conſentit, & *ſpatioſa via*, per quam homo ambulat, dum ſecundum eam vivit, *quæ ducit ad perditionem*: & *multi ſunt, qui intrant per eam*. *Accedentem verò ad ſervitutem* DEI, *oportet abſtinere à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam, & ſtare in juſtitia, & in timore* DEI, *& præparare animam ſuam*, non ad requiem, neque ad delicias, ſed *ad tentationem* & angoſtias: quoniam *oportet per multas tribulationes introire in regnum* DEI. *Anguſta* namque *eſt porta, & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam*. Quoniam pauci ſunt electi, & *puſillus eſt grex, cui complacuit patri dare regnum*.

Gal. 5.

Rom. 7.

Lex carnis lata porta.

Matth. 7.

Eccl. 20.

1. Petri 2.

Actor. 14.

Matth. 7.

Luc. 12.

Tu ergo fili mi, ſi vis perfectus eſſe, & uſque ad finem monaſticæ vitæ eremiticæ pervenire, ibique de torrente bibere; *Vade contra Orientem*, hoc eſt, contra originalem tuæ carnis cupidinem: & *non regnet peccatum in tuo mortali corpore, ut obedias concupiſcentiis ejus*. *Ego* enim *novi iniquos in diem judicii reſervare cruciandos, magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentias immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt*. *Poſt concupiſcentias* ergo *tuas non eas, & à voluntate tua avertere*: eam prorſus relinquens, & recto ſuperioris arbitrio uſque ad mortem propter me humiliter ſubmittens. *Non eſt enim diſcipulus ſuper magiſtrum: perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter ejus*. Ego verò, dominus prophetarum & magiſter, *deſcendi de cælo*, non *ut facerem* voluntatem meam, ſed *voluntatem ejus qui miſit me patris*, *factus ei obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis*. Quamobrem *ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me*. *Qui enim non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus*.

Rom. 6.

2. Petri 2.

Eccleſ. 18

Monaſtica obedientia.

Luca 6.

Joan. 6.

Philip. 2.

Matth. 16

Luca 9.

Luca 14.

Si ergo *vis* contra Orientem, id eſt, contra originalem tuæ carnis cupidinem *poſt me venire*; attende qualiter oportet te crucem bajulare. Sicut namque crucifixus quis, jam non pro ſui animi voluntate membra ſua quoquam movendi, vel convertendi habet poteſtatem, ſed illic tantùm hærent immobiliter, ubi crucifigens ea fixerit; ita oportet te cruci ſic affixum eſſe, & temetipſum abnegare, ut non ad id quod tibi placet, teque delectat ad præſens, tuam voluntatem convertas, ſed quò te voluntas mea conſtrinxit tuam univerſam voluntatem applicare debes: ut jam *non hominum deſideriis, ſed voluntati* DEI, *quod reliquum eſt in carne vivas temporis*. Et quamadmodum ille, qui crucis patibulo eſt affixus, præſentia non contemplatur, præteritorum obliviſcitur, de craſtino non ſollicitatur, nullâ carnali concupiſcentiâ permovetur,

Carnis deſideria coercenda.

1. Petri 4.

Ex S. Baſilio in Pſalmum 118.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN